

Tõlkige järgnev katkend Aulus Gelliuse *Atika öödest* eesti keelde ning kommenteerige kõiki tekstis esinevaid isiku-, koha-, mütoloogilisi jms. nimesid ja või mõisteid. Tõlge võiks olla proosavormis, võimalikult originaalilähedane, samas hästi loetav ja arusaadav. Palume lisada ka kõik allikad, mida oma tõlke ja kommentaari tegemiseks kasutasite.

Aulus Gellius, *Noctes Atticae*, 2. 2

AD philosophum Taurum Athenas visendi cognoscendique eius gratia venerat V. C., praeses Cretae provinciae, et cum eo simul eiusdem praesidis pater. Taurus, sectatoribus commodum dimissis, sedebat pro cubiculi sui foribus et cum assistentibus nobis sermocinabatur. Introivit provinciae praeses et cum eo pater; assurrexit placide Taurus et post mutuam salutationem resedit. Allata mox una sella est, quae in promptu erat, atque dum aliae promebantur, apposita est. Invitavit Taurus patrem praesidis uti sederet. Ad quae ille ait: “Sedeat hic potius qui populi Romani magistratus est.” “Absque praeiudicio,” inquit Taurus, “tu interea sede, dum inspicimus quaerimusque utrum conveniat, tene potius sedere, qui pater es, an filium, qui magistratus est.” Et cum pater assedisset appositumque esset aliud filio quoque eius sedile, verba super ea re Taurus facit cum summa, dii boni, honorum atque officiorum perpensatione.

Eorum verborum sententia haec fuit: In publicis locis atque muneribus atque actionibus patrum iura, cum filiorum qui in magistratu sunt potestatibus collata, interquiescere paululum et conivere; sed cum extra rem publicam in domestica re atque vita sedeatur, ambuletur, in convivio quoque familiari discumbatur, tum inter filium magistratum et patrem privatum publicos honores cessare, naturales et genuinos exoriri. “Hoc igitur,” inquit, “quod ad me venistis, quod colloquimur nunc, quod de officiis disceptamus, privata actio est. Itaque utere apud me his honoribus prius, quibus domi quoque vestrae te uti priorem decet.”